Manifestum sit cunctis quod ego Raimundus de Uillamulorum confiteor me et recognosco recepisse a te Iusiana uxore mea mille aureos barbaroginos boni et fini auri rectique pensi, quos dono tibi et assigno in omni meo castro de Torales et in omnibus suis pertinentiis et tenedonibus et in omni honore de Septemdomibus et in omni honore et in totum quantum habeo que habere debeo aliqua uoce uel racione a uilla Bisilluni superius et in omni honore quem habeo et habere debeo aliquo modo in tota parrochia de Crispiniano et in omni honore de Pudols et in omnibus eorum pertinentiis et tenedonibus et possessionibus, tali siquidem condicione ut habeas omnia pretaxata et teneas et possideas et expletes iure pignoris tui cum omni sua proprietate siue integritate tantum ac tamdiu donec reddantur tibi uel tuis prephati mille aurei ad tuam uoluntatem et sine enganno, non computando fructus nec exitus in sortem pretaxate peccunie, set habeas pro tua gaudida ad omnem tuam uoluntatem faciendam. Adhuc etiam dono tibi et concedo alios mille aureos quos habeas in omni honore predicto, et ita habeas duo mille aureos ad faciendam omnem tuam uoluntatem super omnem predictum honorem, et teneas eum tantum et expletes donec predicti duo mille aurei tibi reddantur et persoluantur a proximis meis, sicut melius potest dici uel intelligi ad tuum tuorumque comodum et intellectum absque dolo malo. Et si aliquo iure siue excepcione aliqua huic contractui obuiam ire possem, illi iuri omnino renuncio. Si quis hoc rumpere uoluerit, non ualeat.
Actum est hoc norris februarii anno Domini .MCCI.
Sig+num Raimundi de Uillamulorum, qui hoc firmo firmarique rogo. Sig+num Arnalli de Lercio. Sig+num Arnalli de Pubul. Sig+num Berengarii de Burdils. Sig+num Berengarii de Fabariis. Sig+num Arnalli de Fabariis. Sig+num Arnalli de Foxano. Sig+num Berengarii de Riuopirorum. Sig+num Petri de Corniliano. Sig+num Dalmatii de Crexello. Sig+num Artalli de Foxano. Sig+num Gaufridi de Rochabertino.
Bernardus Stephani, qui hoc scripsit cum litteris suprascriptis in .III. linea et in .XIII., die et anno quo su(s. man.)pra. (s. man.) Ermengaudus, presbiter et publicus scriptor Gerunde, subscribo.

Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 165-166